

De Justitiae administratione ratione decimarum districtus Metlike, ad Capitulum Ecclesiae Zagrabiensis antiquitus spectantium.

A r t i c u l u s 119.

Cum Venerabile Capitulum Ecclesiae Zagrabiensis pro decimis districtus Metlike et locorum eidem adjacentium, ad idem Capitulum antiquitus spectantibus, sed per Commendatorem de Chernomell, Domus Theuthonicae Ordinis Cruciferorum occupatis et usurpati et postmodum per Delegatos Sedis Apostolicae sibi readjudicatis ac nihilominus contra adjudicationem ejusmodi detentis, Justitiam postulet:

§. 1. Sua proinde Majestas: administrationem Justitiae eidem Capitulo per Justitiarios earundem partium cum debita executione demandare, juxta clementem suam oblationem dignabitur; suadente etiam Art. 13. Anni 1554. *)

FERDINANDI III. IMPER. & REGIS DECRETUM III. ANNI 1649. ARTIC.
POST CORON.

Regnum Croatiae et Sclavoniae intertentio[n]em militum Colapianorum continuabil.

A r t i c u l u s 4.

Regnum porro Croatiae et Sclavoniae intertentio[n]em Militum Colapianorum circiter quingentorum, circa ripam fluvii Colapis, usque ad feliciora tempora, pro possibilitate sua continuabit:

§. 1. Et subsidia sua Contributionesque et auctionem Tricesimae in illo Regno provenientem, juxta Artic. 7. Anni 1638. per Exactorem suum in solutionem eorundem convertet et super hujusmodi proventibus ab Exactore et aliis perceptoribus eorundem juxta Art. 65. Anni 1622. rationem et rectificationem requiret:

§. 2. Salva tamen integra ordinaria sue Majestatis Tricesima, abinde quoque ad Cameram administranda; remanente. **)

*Instructiones Capitaneorum Legibus Regni conformandae; et in Consilio Bellico
duo Consiliarii Ungari adhibendi.*

A r t i c u l u s 8.

Decernitur praeterea; ut Art. 23. Anni 1622. in suo vigore maneat et observetur: Instructionesque Dominorum Capitaneorum Legibus Regni conformentur.

§. 1. Ac in Consilio suae Majestatis Bellico duo ad minimum ex Consiliariis suis Ungaris, de rebus Ungaricis et Confiniorum Statu bene informati, in rebus ipsis praeclere Ungaricis adhibeantur: ***)

*) Renovatur; An. 1659. a. 96. An. 1681. a. 69.

**) Allegatur; An. 1659. a. 86.

***) Urgetur; An. 1659. a. 14.